

Liber primus

bellis nō intendo particulariter sequi ordinē exemplorū: sed solū illas materias quibus adaptatur exempla locare seu ponere sub ordine alphabeti (verbi gratia) In primo libro ubi ponuntur exempla de corporibus simplicibus nō sequar in eis ordines ipsorum simplicium corporū: vt scz primo ponatur exempla de celestibus: postea de elementis: et inter elementa primo de vno postea de alio: sed mixtum ponetur omnia nūc de vno nunc de alio sicut quibus diuersis quas ponam sub alphabeti ordine varie adaptant. Et idē etiā ordo seruabit in ceteris libellis: ita. s. vt quilibet liber per se de materiis que tractabunt in ipso suo habeat proprium ordinem alphabeti. Si qua igitur in hoc opere mea imperitia indebite essent posita vel inepte: reliquo atque summitto benivolentie fratrum ac studio corrigenda. De his autem que bene dicta et adaptata congrue videbuntur: regi immortalis inuisibili soli deo honor relinquet et gloria in secula seculorum.

Explicit prologus tertius.

Incipit liber primus: Ca. I

Abstinentia

Abscisa ciborum quibus sit discretis hominibus vtilis: in simplicibus simplicium corporum potest ostendi naturis. Simplicia namque corpora duarum sunt naturarum. scilicet nature celestis et elementaris. Primum exemplum notabile de fructu ipsius abstinentie quo ad naturam celestem ostenditur in corpore lune. Est enim natura celestis tantomagis luminis plena quanto minus in sua substantia habet de grossa et corpulenta materia. Hinc igitur est quod apparet in luna quedam nigredinis macula: quod luna prout tradit scriptura sicut est in situ locali magis vicina terre: ita est ut ita dicam magis terrestri nature. scilicet cuiusdam substantie grosse et corpulente: propter quam lumen solis non recipit profunde sicut alte stelle sed tantum in superficie. Et idcirco in ipsa tantum resultat macula umbre. Est igitur natura hominis luminari corpori similis: cuius scilicet mens interior ad lumen sapientie tanto est minus disposita quanto venter corpulentior sit ciborum affluentia. Nam multa repletio ventris obtusitate generat mentis. Et psalmus lxxvij. dicit:

Repleti sunt que obscurati sunt. Et hec est obscuritas lune. scilicet vite delitiose: que scilicet non repletur splendore sapientie. Esa. xij. Luna non splendebit in lumine suo. Debet ergo ad hoc ut anima fiat luminis sapientie plena quod non vratur superfluo ciborum alimentis. propter quod Apollonius dicit ad Roma. xij. Induamur arma lucis sic ut in die honeste ambulemus: non in comestationibus et ebrietatibus. Est enim armatura lucis sapientie celestis: que mentem de veritate illustrat et ab erroribus defendit. Nec honeste velut in die nos ambulare facit: quod lumen nobis porrigit veritatis sequende. Sed qui a comestationibus vel ab ebrietate non abstinet: hanc armaturam lucis induere non potest. vnde Hieronimus dicit in Iovinianum: Si quis estimat se abundantia ciborum portionibus perfrui et posse vacare sapientie: hic in delictis versari et deliciarum vitis non teneri seipsum seducit. Et in eodem dicit: Sapientia operam dare non possumus si mens abundantiā quam labore nimio indiget et cura cogitemus. Secundum exemplum abstinentie que ad elementarem naturam ostendit elementum terre. Terra enim primo nobis ostendit quod abstinentia et attenuatio carnis impetrativa est gratie celestis. Nam quia terra de sui natura totaliter est sicca et arida: prout deus auctor nature quod ad hoc ut fructus producere possit infundat celestem pluviam: et ita ad fructus verberes producidos efficitur secunda. Sic enim cordis terra si ab humore luxurie noxio per abstinentiam cibi et potus efficitur arida: superfundet taliter celestis gratie pluvia quod ad producidos fructus spiritualium operum erit fertilis et secunda. Unde dicitur Iob. vi. Terra enim sepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem a deo. Caro enim nostra dicitur terra quando sit per abstinentiam ab humore concupiscentie vacua. Scriptum est enim: Gen. i. Quod vocavit deus aridam terram. hec imber celestem bibit quod celestis gratie confortatione pinguescit. Esa. lv. Descendit imber et nix de celo et inebriavit terram. Sed tunc herbam opportunam producit cum in merito ope spirituali subseruit: ex quo a deo benedictionem accipit: quod retributionem eternam promittit cum ipso spiritu finali habeat. Ergo enim cordis terra tunc est perfecte disposita: cum arefcit ex abstinentia: humescit celestem gratiam: frutescit per bona opera. Et per